





1702 42  
Q. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

18  
69.

DE EO,  
QVOD OBSER-  
VANDUM EST CIRCA  
INTERPRETATIONEM  
LEGUM,

36  
QVAM  
PERMITTENTE  
MAGNIFICO JCTORUM ORDINE  
IN ACADEMIA ERFORDIENSI

PRO

LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES  
IMPETRANDI,

Ad d. 14. Martij, 1702.

Publicæ submittit

Eruditorum Censuræ

M. Gottfrid Lange.

ERFFURTI,

Excudebat JOH. HENR. Grosch/Acad. Typogr.



J. S. Myc.

160  
ARCHIACAE MIRABILIA SACRA

DE

OB

CO

DO

MI

LA

TE

ET

IM

IT

MA

RE

LI

ZUM

WANDEL



VIRO MAGNIFICO,

Summè-Reverendo, Amplissimo, Con-  
sultissimo atq; Excellentissimo,

DOMINO

FRANCISCO CON-  
RADO ROMANO,

JCTO,

S. R. Maj. Polon. & Elect. Saxon. ab  
Appellationum Consiliis, Canonico

VVurzeni, & Scabinatus Lipsiensis Assessori,

Patriæ suæ Consuli meritissimo,

Domino Patrono & Promotori eâ quâ  
parest, observantia aeternum colendo.

VIR MAGNIFICE,

FRANCISCO CON  
RAD ROMANO

DOMINO



Axima est, quæ in diversa  
trahit animum meum du-  
bitatio, an ex decoro peti-  
possit nonnulla illius au-  
daciæ interpretatio, quæ  
me adduxit, ut inauguralem hanc de-  
Interpretatione dissertationem Magni-  
TUI Nominis adjectione redderem,  
splendidissimam. Nam, ex unâ parte  
ruborem incutit opusculi tenuitas, nul-  
lius

lius fere splendoris capax, & denegata  
haec tenus, quâ innotescere Tibi potue-  
rim, omnis occasio. Exaltera vero par-  
te stimulant animum egregia illa, quæ  
communem TE quasi constituunt lite-  
rarum Patronum, specimina: Et cum  
nemo nunc sit in utraque Lipsiensium  
Republica, qui TIBI, in tanto honoris  
& amoris fastigio constituto probari  
non inter præcipua referat felicitatis  
documenta, mihi quoque veniam dabis  
actum agenti, Nominisque TUI gloriâ  
dissertationis limen exornanti. Quibus  
omnibus, si ea tibi videntur ad excusan-  
dam temeritatem meam minus valida,  
pondus addet maximus, cum quô  
tibi est quotidiè publicarum curarum  
societas, Patronus & Promotor meus,  
quem ubi commendatorem & inter-  
cessorem certissimè mihi promitto, non  
deliquisse videbor in magni TUI Nomi-  
nis

ANNO MAJ 1795

nis gloriam, si levissimis his paginis utar  
in occasionem publicè exprimenti de-  
votissimi mei erga eandem animi. Ser-  
vet TE Deus ex voto *Potentissimi*  
*Regis Nostri*, in commodum Rerum-  
publicarum, utilitatem literarum, &  
solatium plurimorum, quibus annume-  
rari cupit

**MAGNI TUI NOMINIS**

*Devotissimus Calvor.*

**GOTTFRIED LANGIUS**



I. N. D. N. J. C.

## PRÆFAMEN.



Ulinquennium & quod excurrit,  
est, quod in Cathedrâ Philosopho-  
rum Lipsiensi publicè defende-  
rem Disputationem de oratorum  
& politicorum aquivocationibus  
conscriptam. Innumeris ibi ex-  
emplis demonstratum ibam, summoperè falli, qui so-  
lis Logicorum cancellis circumscribi hoc loquendi  
genus putarent, cum & oratori ad elegantiarum  
inventionem, & politicis ad negotiorum maximi  
momenti consummationem puncta conferat non-  
contennenda. Ad illos autem imprimis spectare,  
qui Jureconsultorum castra sequuntur, ab eo sta-  
tim tempore sum edoctus, ex quo legibus explicandis  
& applicandis mea studia consecravi. Hinc opera  
me pretium facturum confido, si interpretatio-  
nem, quam ambiguè & equivocè dictis adhibere so-  
lent Jurium periti, peculiori Dissertationi nunc in-  
cludam,

cludam. De istis autem ut positiones conscribere va-  
team non ambigüe, sed clarè ac distinctè conceptas,  
sumnum faxit quod omnia dirigit, numen!

## TH. I.



Ctionum humanarum norma  
lex est. v. *Puf. Jur. Nat.* & *G.L.*  
*i.c. 6. §. 1.* Quæ licet alias maxi-  
mè differat (i.à pactis & conven-  
tionibus, quoniam pacto non  
tenetur, nisi qui suo consensu se  
obstrinxerit), lege autem obligatur, qui ante a e-  
iusdem auctori obsequium debebat. *Hobbes. c. 14. §.*  
*1.* (2. à Jure, quæ potestatem ac moralem faculta-  
tem aliquid agendi notat. *Puf. l.c. §. 3.* Hic tamen  
in sensu latissimo pro complexu omnium legum  
accipitur, adeò, ut pacta, omnesque juris scripti &  
non scripti species, quæ recensentur. *Inst. de Jur. Nat.*  
*Gent.* & *Civil.* ad objectum nostræ Dissertationis  
certo modo spectent.

## TH. II.

Negandum tamen non est, ad eam primariò  
legem hîc respici, quæ subditis injungitur à supe-  
riore. Cujus voluntas quod non ubivis sit clara,  
duplici

duplici contingere videmus modo. Aut enim noluit aut non potuit majorem perspicuitatem adhibere. Noluisse censetur, quando generaliter aliquid decernit, susque deque habitis circumstantiis ad judicandam casus obvenientis moralitatem maximè necessarijs, quod interdum latide dignum est, interdum etiam censoriani virgulam meretur. Prius accidit, si Princeps videns innumeras eas valetates, quibus virtutum includuntur officia, & peccatorum opera, ultrò abstinet à caluum decisione, & secundum l. 3. ff. de LL. de iis saltem jura constituit, quæ ut plurimum accident, non, quæ inopinatò, ne si de singulis caveret, ipsa legum multitudo gravamen esset Reipublicæ non ferendum: Posterius vero, quando ad exemplum Regis Sveciæ, cuius mentionem facit Pufendorf, leges proponit vel idiomate plane ignoto, vel tantis verborum obscuritatibus conceptas, ut vel prudentissimus quisque contra illas non possit non impingere. Non potuit, quando aliquid constitutum effugit, quod tamen, ut exprimeretur, maximè fuit necessarium v. Zigel. de Jurib. Maj. L. I. c. 6.

## TH. III.

Cum omnes igitur articuli sigillatim aut legibus comprehendi aut Senatus consultis ne queant

A}

l. 12,

*l. 12. ff. de LL.* Lex autem ad factum vel speciem a-  
liter applicari non possit, nisi casus obveniens in ea  
contineatur, hinc opus interpretatione, quam Pu-  
fendorfius dicit collectionem mentis ex signis ma-  
xime probabilibus, *L. V. c. XII.* *Thomas.* expositio-  
nem voluntatis alienæ dubiæ *Jurispr. Div. L. II.*  
*c. XII.*

## TH. IV.

Dico collectionem mentis. Nam scire leges  
non est verba earum tenere, sed vim ac potesta-  
tem. *l. 17. ff. LL.* & in omni dispositione mens &  
voluntas disponentis primum locum occupat, *arg.*  
*l. 19. pr. ff. de cond. & demonstr.*

## TH. V.

Mensea vel superioris est vel paris. Hinc in-  
terpretationem in eam, quæ est legum, &, quæ est  
pactorum, dividere posses. *Thom. l. 1. c. 3. p. 4.* Men-  
tem præsuppono dubiam. Quod enim per se sole  
meridiano clarius est, id frustra soli querendum da-  
tur: Ita tamen dubiam, ut adhibitis bonæ interpre-  
tationis Regulis explicari adhuc possit. Si enim,  
quod est in proverbio, qui non vult intelligi, non  
debet legi, multo minus, qui non vult intelligi, debet  
explicari.

## TH. VI.

100 7. 20  
TH. VI.

Quænam sint ea signa , ex quibus colligitur  
mens aliorum , infra videbimus. Interpretes autem  
secundum communem opinionem constituant  
Doctores, usus, & Superiores.

TH. VII.

Prior interpretationis species doctrinalis dici-  
tur , & rem vel declarat, vel extendit, vel restringit.  
Scilicet in legibus vel idem dictum est, quod sensit  
legislator , tunc obtinet interpretatio declarativa ,  
quæ explicat verba, prout jacent , vel legislator ex  
parte talitem voluntatem suam declaravit, tunc o-  
pus interpretatione extensivâ , quæ verba ad alias  
casus eâ sub parte comprehensos extendit, vel legislator  
tandem plura dixit, quam sensit , tunc adhi-  
benda interpretatio restrictiva , quæ casus in eâ  
lege non comprehensos removet & excludit.

TH. VIII.

De singulis plurâ. Prior sequentem inculcat  
Regulam : Si nulla adsit sufficiens conjectura , quæ  
ducat aliò , verba intelligenda sunt in proprio suo  
& famoso significatu , quem imposuit ipsis & pro-  
prietas grammatica, & popularis usus.

TH. IX.

Proprietas grammatica requirit cognitionem illius lingvæ , in quâ leges sunt conscriptæ, si nimirum verbis absolvantur vulgaribus, & ad grammatices studium pertinentibus. Nescio autem , an hoc referri mereantur obscuritates ex inartificialibus literarum ductibus ortæ, vel ex abbreviaturis provenientes , quas similes captiones & compendiosa ænigmata vocat Imperator Justinianus l.l. §. 13. C. de Veter. Jur. enucl. vel typographica quoque sphalmata, quorum egregium forte specimen exhibet l.l. §. 1. de pignorat. actione. Superioris enim verba hic sunt interpretanda, non scribarum aut typographorum vitia emendanda. Accedit & hoc, quod non tam de externâ literarum formâ, quam de interno verborum sensu sollicitus sumus.

## TH. X.

Popularis autem usus requiritur , ut sciam , qualem proprietatem vocabulis imposuerit consuetudo, ad quam omnino recurrendum est, quoties dubium movet sensus proprius & improprius, usitatus & inusitatus &c. Et ingenuè quidem facio, in explicandis legibus publicis , prudentiam publi-

publicam, in præceptis vero privatorum utilitatem  
concernentibus prudentiam œconomicam o-  
mnem lexicorum utilitatem longo post se inter-  
vallō relinquere. *Thom. I.c. pos. 83.*

## TH. XI.

Hoc imprimis notandum est, verba artifia-  
lia secundum definitionem prudentium explicari.  
Adeoque, si e. g. in legibus mentio facta sit exerci-  
tus, non cohors vel unica tantum ala subintelli-  
genda est, sed magnus militum numerus, quoni-  
am eum exercitui præesse dicimus, qui legionem  
vel legiones cum suis auxilijs ab Imperatore com-  
missas administrat. *I. 2. §. 1. ff. de his qui notant infam.*

## TH. XII.

Sic popularis usus etiam obtinet in explican-  
dis ambiguis, quæ naturam æquivocationum in-  
duunt, vel ex nimirū brevitate e. g. cum commo-  
dum erit, dotis filiæ meæ tibi erunt aurei centum,  
*I. 125. ff. de V. S.* quod enim factum est, cum in ob-  
scuro fit, ex affectione cuiusque capit interpretationem,  
*I. 168. §. 1. de R. J.* vel ex superfluis verbis,  
quem in modum legata suppellectili species ex a-  
bundanti enumerantur. *I. 9. pr. de supell. legat.*

## TH. XIII.

Mens autem legislatoris non potest non inno-

B

tescere

rescere in obvenientibus ejusmodi æqvivocationibus, si sequentes observare velis regulas : I. Antecedentia & consequentia probè sunt attendenda. Incivile enim est nisi totâ lege perspectâ, unâ ejus particulâ propositâ judicare, vel respondere, qvod non tantum l. 24. ff. de LL. sed experientiâ etiam probatur, quæ in verbis extra contextum & in contextu consideratis non exiguum semper demonstrat differentiam.

## TH. XIV.

II. Alia loca, quæ nonnullam habent cum æqvivocationibus nostris affinitatem, sunt conferenda, e.g. stipulatus cum Sejo Titius est, ut certo loco se sistat, vel pecuniæ summam solvat. Dies in stipulatione per errorem est omissus. Qværitur an stipulatio sit nulla ? Ita quidem videtur, ad similitudinem stipulationis, quæ sit in re fungibili non adjectō numerō, mensurā, & pondere. Ast valet adhuc & subsistit, si ex tractatu prius habitu appearat, quod Calendis Martij vel alio certō die Sejus se fieri debet. l. 64. & l. 115. ff. de V.O. Cum enim in dubio voluntas credatur sibi fuisse consentiens, igitur ubi quis uno in loco clare mentem suam circa rem quampliam expresit, alio qvoqve loco ac tempore

53 II. 86  
tempore sibi constare prælumitur, nisi expreſſe mu-  
tatio appareat. *Puf.L.V.c.XII.§.9.*

TH. XV.

III. In contradictorijs lex legi cedat. Non prolixius hic ero in decidendâ illâ quæſtione , an dentur antimoniz, nec in id inqviram, an satius sit cum Wissenbachio medelam qværere contradictionibus in jure nostro obvenientibus, vel cum Strauchio ad evitandas antinomias qvibuscunqve potius distinctionibus pugnam dirimere : Id faltem credo, muluis in locis eſte contradictionem apparentem , qvæ tamen verba accuratè inspicientibus talis non videtur. Probatur hoc *l.25. ff. de Publican. & Vectigal.* Lex enim erat , ne quis præter redemptorem post Idus Martij cotem ex Insula Cretâ fodito, neqve eximito, neqve avellito. Videbatur huic legi contradicere permisso post ejus publicationem nonnulli data , qvi post Idus Martias cotem exportabat. Contradictionem autem non veram eſte, sed faltem apparentem, nullo planè negotio qvilibet animadvertisit, qvi in promissione non faltem verba interpretatur , sed circumstantias etiam addit , si nimirum navis cotibus onusta ante Idus Martij ex portu cretae sit profecta, vento vero minus secundo in portum iterum relata.

B 2

TH. XVI.

Positō autem, dari contradictiones juris, dantur quoque remedia, quibus adhibitis judicari facile potest, quānam ex duabus legibus sibi cōtradicentibus alteri sit præferenda. i. Illorum precipua hæc sunt. 1. Lex posterior derogat priori, L. 4. C. de *Constit. Princ.* Cave tamen, axioma hoc quod in explicationibus ultimarum voluntatum L. 27. C. de *Testam.* & in constitutionibus superiorum locum habet, pactis in distinctè applicet, ubi profata ut plurimum derogant posterioribus. 2. Permesio cedit ei, qvod veratur. 4. Qvod faciendum est certo tempore, præfertur ei, qvod fieri potest qvovis tempore. 5. Obligatio imperfecta cedit perfectæ, 6. Obligatio duplex vincit simplicem &c.

Hæc de interpretatione declarativâ dixisse sufficiat. Seqvuntur nunc extensiva & restrictiva. Prinsquam vero de illis agam seorsim in genere præferendæ sunt nonnullæ regulæ, quæ ad utramque pertinere videntur.

I. In extensivâ & restrictivâ interpretatione non tam an verba, quam ad rationem & mentem legis recipimus. II. Talia sunt subiecta, qualia esse

per-

permittuntur à suis prædicatis, & talia sunt prædicta, qualia esse permittuntur à suis subjectis. Regulam hanc Logicis adm odum familiarem sequentibus illustrabo exemplis. Jure antiquo lex prohibebat, ne Patronus impediret vel juramento adigeret libertutem vel libertam, ne nubrent. Impediebat Cajus Sejum libertum suum castratum. Quæritur, an eâ de causâ puniendus fuerit Patronus? Respondeatur negando, quoniam tale non erat hoc subjectum, ut admiserit prædicatum. v. 1.6. §. 2. ff. de Jure Patron. Sic, si de Rege Sveciæ dicatur, quod in comitiis Imperij publicis sua quoque ferat infragia, & de Rege Hispaniæ, quod fuerit Vasallus Imperij, facilis est interpretatio, priori competere hoc prædicatum, quatenus est Ducatus Pomeraniæ Postessor, posterior autem, quatenus Ducatum Mediolanensem possedit. In re feudali autem quoties herendum sit mentio, masculos saltem heredes subintelligi, v. Struv. in Syntagm. Jur. Fend. & Zigler. de Jure Maj. L. 1. c. 6. ubi & præjudicium.

## TH. XIX.

Ast occurrere interdum solet ejusmodi prædicatum quod pari ratione subjecto tribuitur plus simplici, adeoque ingentem interpretibus parit molestiam. Sic mortuo 1657. Ferdinando III, lis orta

inter duos Serenissimos Electores, Bavaram scilicet & Palatinum, cui competat vacante Imperatoriâ sede jus Vicariatus, Bavarus enim cum ipsi per dispositos curlores nunciatum esset de obitu Cæsar, confessim qvaqva versum literas dimisit, susceptionem vicariatus indicantes, ad quas plerique statuum gratulabundi responderunt, priusquam Palatino de morte Imperatoris aliquid innoteuceret. Hie vero intelligens tandem, jus, quod una cum Saxonie Electore sibi tribuebat, violari, ipse quoque Edictum de vicariatu suo Anno 1657. die 12. Maii emisit, in quo valde conqueritur, quod Bavarus vicariatum in tractu Rheni, Sveviæ, & Franconiæ, ubi olim jus Franconicum viguit, sibi præter jus & fas arrogarit. Ut autem taceam progressum illustris hujus disceptionis satis amplum & acerbum, à quô parum absuit, qyin belli intestini causam præbuerit ac originem, hoc latem, quod ad scopum nostrum facit, addam, omnem controveriam ortam fuisse ex interpretatione aureæ Bullæ, & illius imprimis loci, ubi dicitur: Palatinum esse debere Regni vicarium, von des Churfürstenthums und Pfalzgräffschafft wegen. Qvoniā enim Palatinatus ab Electoratu in Pace Osnabrugensi erat divisus, quærebatur nunc, an  
Vica-

Vicariatus olim ratione Palatinatus, vel Electoratus competierit. Priori qvi subscriptibit, Palatini iuris tuetur, qvoniā in inferiorem Palatinatum cum omnibus juribus & pertinentijs erat restitutus: Posteriorem vero sententiam qvi sequitur, Bavari defensorem agit, utpote in qvem flagrante tricennali bello Electoratus Palatino alijs competens, erat translatus. *vide prolixius eā de re differētēm Philipp. And. Burgoldensem in Discurs. suis P. 1. D. xxvi. p. 453.*

## TH. XX.

Licet autem non adeò difficilis esset dicti exempli ad regulas applicatio, qvod Vicariatus accessoriū esse potest & Palatinatus & Electoratus, adeoq; ejusmodi prædicatum, qvod admittitur à duplice subjecto, non tamen expectanda hic foret illius decisio: cum negotia publica scholarum subtilitates transcendant, & totiū Imperij non vero privati sic publicas leges interpretari. In similibus vero exemplis cum hac Regulâ aliæ quoq; forent conferendæ, illa imprimis, qvæ suprà §. 9. fuit suppeditata. In interpretatione enim grammaticā non saltem videndum est, quid scriptum sit, sed in quā lingvā primum scriptum sit.

## TH. XXI.

III. Favorabilia sunt extendenda , odiosa restringenda, mixta verò latisimè secundum totam proprietatem usus popularis explicanda. Dicis: atqvi hujus regulæ vel nullus, vel exiguis certè futurus est usus, qvamdiu ea manet negotiorum humorum conditio, ut nullum ferè apprehendatur, in qvo non favor & odium simul occurrant; cùm hi termini non rei ipsius essentiam, sed relationem ad utilitatem vel damnum, qvod homines inde sentiunt, exprimant, & verò ubique qvod uni damnum est, alteri utilitatem affert. Sic, qvando heres ex testamento solvere jubetur legata, ad favorabilia referri posset hic actus ratione legatarij ; nihil tamen obstat, qvo minus odiosis etiam illum ipsum annumeres ex parte heredis. Thom. I.c,p. 169.

Respondeo: Favorabilia & odiola considerantur, vel qvatenus coherent legibus civilibus , vel qvatenus extra illas subsistunt. Non disputabo hinc, an favorabilium in abstracto positorum accurata dari possit differentia: Hoc tamen certissimum est , in legibus nostris maximam partem definiri, qvid favorabilibus, qvid odiosis sit annumerandum. Sic e.g. caulæ libertatis, pupillorum, dotis, &c:

ad

17. 89

ad favorem; poenarum vero ad odium pertinere,  
qvis est, qui nescit, vid. Jac. Gotfredi ad l. 155. de  
R. f. cap. cum tu filii proposito. 10. X. de testibus &  
testat. ibique glossam. Præter hæc notari quoq; me-  
retur, quod ex Quintiliano Pufend. adducit l.c. §. 12.  
Incommoda vitantis meliorem esse, (adeoq; ad fa-  
vorabilia quoq; spectare) causam quam commoda  
potentis. addatur l. 3. §. 8. ff. de vi & vi armata. Sic  
ilorum e. g. qvæ ad pacem faciunt, major favor,  
quam qvæ ad bellum, & belli defensivi, quam of-  
fensivi.

TH. XXIII.

IV. Facilius dantur rationes, qvæ svadent, inter-  
pretationem coarctari, quam extendi. Unius nimi-  
rum rei plures esse possunt causæ. Effectus inter-  
dum impediri potest, illarum unicà deficiente, non  
vero produci, nisi convenienter omnes. Pari modō  
sana quoq; svadet ratio. nullam legem actionibus  
nostris aplicandam esse, nisi omnes simul in illis  
concurrent causæ.

TH. XXIV.

Ubi eadem verò ratio, ibi eadem & est legis di-  
positio. Sic Lege Aqvil. non tenebatur ex respon-  
so Celsi, qui causam mortis dederat, sed actione sal-  
tem in factum. Ast, si quis de ponte aliquem præci-  
pit,

C

pitat,

pitat, qvi non iectu perit, sed continuo submergitur, tenetur tamen Lege Aquil. l. 7. §. 7. b. t. Simile exemplum suppeditat l. 33. §. 1. ad L. Jul. de adult. coercend.

## TH. XXV.

Et opus omnino est ejusmodi legi extensione, quoniam expressè l. 29. ff. de LL. prohibet, nequid in fraudem legis fiat, quæ tamen fraus multifariam esset expectanda, si semper fieri liceret, quod lex fieri noluit, fieri tamen non vetuit, l. 30. ff. b. t. Fraudis autem licet innumeræ sint pro diversitate circumstantiarum species, quatuor tamen vulgo à Doctoribus annotari solent.

## TH. XXVI.

I. Commutantur res. Prohibetur Senatusconsulto Macedon. ne quis filiofamilias mutuum det. Jam, qvi vendendo, locando, alioqve qvocunque contractu efficere vellet, ut ex re non fungibili postmodum pecuniam acqvirat, res commutando fraudem committeret. l. 3. §. 3. ff. ad Sct. Maced. l. 7. §. 3. ff. b. t. II. Commutantur personæ. Memorabile exemplum Livius refert, lib. 2. c. 7. Cum enim aliquando fænore laboraret civitas, multisqve legibus constricta esset avaritia, via fraudis impita erat, ut in socios, qui non tenerentur ijs legibus,

53 19. 20

bus, nomina transcriberent. III. Committantur contractus. Donationes inter virum & uxorem sunt prohibitæ, hinc quoque prohibetur simulata venditio l. 5. §. 5. de donat. int. vir. & uxor. IV. committatur contrahendi modus, cuius exemplum ostendit l. 8. §. 14. de SCt. Vellej. add. l. 54. ff. de A. & O.

TH. XXVII.

Extensiva interpretatio ea quoque de causâ locam invenit, ne effectus fiat nullus. Innuit hoc l. ff. 12. de LL. ubi dicitur: In ambigua voce legis eam potissimum accipiendam esse significationem, quæ vitio caret, h. e. quæ ad producendum effectum est commodissima. Hinc dubium non est, quin admodum obscurè dubitaverit nonnullus etiam conductor, an locatis cameris scalæ simul fuerint locatæ, quibus solis patebat ad eas cameras introitus.

TH. XXVIII.

Jam, quemadmodum extensio fit ubi mens legislatoris prolixior est verbis: Ita ubi plura dixit, quam lensit legislator, adhibetur interpretatio restrictiva, in qua hæc præ reliquis dominatur Regula: Cessante ratione cessat effectus. Quod tamen cum grano lalis accipiendum est, ne confundamus cum ratione legis ejusdem mentem. Hæc enim

C 2

enim nihil aliud est quam genuina legis sententia, ratio autem fundamentum, quod movit legislatorem, & subsidium, cuius beneficio legem postmodum recte assequi possumus. Notandum porro est, maximum hujus Regulae tunc esse valorem, si ratio legis sit unica, vel ex pluribus deficiat primaaria, ut in donationibus propter nuptias, quae revocari possunt nuptiis non secutis, licet alias in donationibus inter vivos ratio non attendatur, nisi expresse dictum fuerit, quod ea cessante donatio etiam esse debeat nulla.

**TH. XXIX.**

Hoc quoque notari meretur, non sufficere, rationem legis cessare quoad actum, d. insimul quoque requiri, ut cesseret quoad potentiam. Si v. c. lex sit: ne quis noctu cum facibus per plateas ambulet, excusatio locum vix inveniet, si quis contra hanc legem peccans postmodum dicat, se ita circumspecte facibus uti, ut damnum ex iis provenire non possit. Licet enim allegatus calus rationem interdicti non includat quoad actum, bene tamen illum comprehendit quoad potentiam, quoniam scilicet impossibile non est ut adhibitis omnibus curarum modis damnum tamen exinde sentiat civitas. *confer. Puf. l.c. §. 20.*

**TH. XXX.**

Scire nunc vis, quando restrictiva eiusmodi inter-

103 21. 60

terpretatio sit adhibenda? Respondeat Grotius & qui  
eum in accuratissima hâc interpretationis doctrinâ  
seqvuntur, duobus hoc fieri modis: 1. Si deficiat  
voluntas originaria, 2. Si casus legi substituendus  
cum voluntate constituentis pugnet.

TH. XXXI.

Intelliges autem defectum & pugnam cum le-  
ge vel pacto i. Ex ablurdo, qvod alioquin seqvere-  
tur. Hinc in generali sermone semper excipitur  
persona loquentis. *Pufend.l.c.* Qvò observatô, non  
adeò difficilis erit notabilis illius disceptionis inter  
Magistrum quendam & discipulum ortæ decisio,  
eius mentionem facit Gellius *l. V. c. 10.* Inter hos  
enim conventum fuerat, ut Magistro merces non  
debeatur, quo usque discipulus caulam non obti-  
nuerit. Finito labore cum premium posceret Ma-  
gister, dare istud reculans discipulus per dilemma  
quasi respondebat: Aut *Judex* me ablolvet, tunc  
ipse jure nihil debeo, aut me condemnabit ad præ-  
standum promissum, tunc exceptione pacti tutus  
ero. Propriam enim præsumitur magister exce-  
pisse personam.

TH. XXXII.

II. Videndum est, ne nimia verborum extensione  
lædatur æquitas. *l. 14. ff. s. 13. de relig.* Et sumt. fun. *Æqui-*  
*tatem enim ante oculos habere debet judex l. 4. ff. de-*  
*co, quod certo loco peti oport.* *Æquitatem autem qui cum*

C 3

Art.

Aristotele dicit correctionem ejus, in quo lex ob universalitatem deficit, is meo quidem judicio non errat. Nam quia in legibus infiniti, qui postmodum occurront, casus praevideri nequeunt, neque si praevideri possent, illorum definitionem permitteret infinitus ferè numerus, ideo illi, ad quos spectat legum ad casus applicatio, meritò sibi tribuunt aliquam libertatem, per quam possint à lege eximere & excipere illos casus peculiaribus circumstantiis vestitos, quos excepturus ipse, si præsens adesse posset, fuerat legislator. v. l. 3. 4. 5. 10. 11. ff. LL.

## TH. XXXIV.

Cautè tamen hic procedendum est, ne quis putet, judicces vel alios de jure respondentes sub æquitatis specie in hanc, vel illam sententiam detorquere quamlibet legem posse. Interdum enim æquitas saltem præsertur rigor, interdum rigor prævalet æquitati. Prius observatur in casibus nondum decisis, & in circumstantiis, quæ non sunt similes illis de quibus lex loquitur. Verbo: ubi applicatio, si juxta verba legis ad casum obvenientem fieri deberet, vel divino vel naturali juri esset contradicturna. Hinc semper quoque ex jure vel divino, vel naturali, vel civili petendum esse, quod legi adhibetur, temperamentum, dubio caret. Fallor, an eâ de causa nonnullis æquitas dividatur in divinam, naturalem, & civilem. Zigler, l. c.

## TH. XXXIV.

His autem præsuppositis, facile nunc appareat, quando rigor juris sit retinendus. Non ille quidem, qui ex odiosa verborum subtilitate nascitur, & summum jus sumمام interdum facit injuriam v. Menoch. de recuperand. Possess. remed. i. n. 21. quando scilicet verba legis, prout jacent, applicantur facto, susque deque habitis circumstantiis: Sed ille, qui fluit ex ipsa litera sine ullâ illius tortura v. Tira quell.

gnell. ad l. 8. Cide revoc. donat. Quod enim legem ge  
raliter loquentem ex defectu rationis idoneæ, quoniam  
verba clara sunt ac perspicua, restringere non licet, Ulpianus docet l.12. ff. qui & à quibus manuum dicens: quod  
quidem per quam durum est, sed lex tamen ita scripta est.

TH. XXXV.

Corrigitur tamen ea legum durities dupliciti modo: Primo  
ipsi succurrit usus judicati vel consuetudo, quæ optima legū  
interpres l.37. ff. de LL. interpretationem parit, quam usuā  
lem appellare solent Dd. arg. l.2. S.2. ff. de O. J. Et quoniam  
observantia subsecuta legem interpretatur anteriorem, id  
eo factum est, ut usualis interpretatio observantia nomine  
communiter veniat. Ad quam constituantur requiri-  
runtur i. actus, qui semper & continuo fuerunt uniformes.  
Difformes enim non faciunt consuetudinem, sed tunc re-  
currendum est ad literam scriptam. Berlich. decif. 74. n.  
1. 2. 2. Plures & consimiles sententiae in eodem litis genere.  
3. Idem locus, in quo plures actus pluresque sententiae  
consuetudinem formare possunt.

TH. XXXVI.

Secundo quoque legum durities autoritate Princi-  
pium corrigitur, quæ producit interpretationem authenti-  
cam. Regalibus illam annumerari, nemo, ut credo du-  
bitat l. 1. c. de LL. qui enim legem potest dare, multo ma-  
gis legem potest interpretari. Hinc quoque à legislato-  
ri principis potestate interpretatio semper est expetenda,  
si aliunde in dubio ea haberri nequeat. Dico in dubio:  
Ubi enim satis de voluntate Legislatoris constat, quid opus,  
ut illa requiratur. Et inique agit, qui, cum de sententiâ  
certus sit, verba captat, & aliorum infestit.

TH. XXXVII.

Dicis: atqui interpretatio authentica propriè loquendo  
non

non est interpretatio, sed nova lex. Respondeo: ab exemplo ad Regulam non semper valet consequentia. Fieri interdum solet, ut constitutum quoddam à majoribus reliatum superioris decreto novæ legis naturam induat, & tunc omnino interpretationem hanc authenticam majori veritatis specie novam legem dices. Si autem quod sepius acidit, princeps edicta vel à se, vel ab Antecessoribus publicata, ro-gantibus subditis explicet, & ut ait Imperator Constantinus I. c. inter æquitatem jusque interpretationem suam interponat, quis novam tunc legem constitui asseret?

TH. XXXIX.

Jam si scire velis, quando judex æquitatis rationem stricto iuri propriâ autoritate præferre, & quâdo Principis interpretationē adhibere debeat, consulte Paulum l. 85 ff. §. 2. de R. J. & distingue cum Jacobo Gothofrido inter æquitatē intrinsecam & extrinsecam. Intrinseca est, quæ in oculos incurrens, legibusq; aliis adjuta Regulam juris stricti ejusq; rigorē temperat & inflebit, quæ ipsi juri cognata est. Et hujus æquitatis rationem judex in suis decretis habere potest, imò debet. Extrinseca vero æquitas est, quæ jam obversa fronte cum jure committitur, quia videlicet ius olim æquabile æquumque visum hodiè æquum esse desit, vel potius judex desisse putat. Et hanc sane æquitatis rationem sibi Princeps reservarunt, siue juris fecerunt l. 1. C. de L.

TH. XXXIX.


Quæritur postremo, cum interpretatio authenticæ generalis sit ac perpetua, & ad omnes porrigitur, quos lex ipsa habet subjectos, an judicis quoque interpretatio extra partes litigantes aliquem obligare possit? & respondetur negando. Judex enim non alijs interpretatione suâ præjudicat, quam quibus judek datus est. l. 63. ff. de R. J. nec facit, ut alii judices eym sequi in judicio teneantur, cum non exemplis, sed legibus sit judicandum. l. 13. C. de sent. & int.

S. D. G.









**ULB Halle**  
001 608 150


3



56.

V817





1702.2  
Q. D. B. V.  
18 69.

*DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,*  
**DE EO,**  
**QVOD OBSER-**  
**VANDUM EST CIRCA**  
**INTERPRETATIONEM**  
**LEGUM,**  
*QVAM*  
**PERMITTENTE**  
*MAGNIFICO JCTORUM ORDINE*  
*IN ACADEMIA ERFFORDIENSI*  
**PRO**  
**LICENTIA**  
*SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES*  
*IMPETRANDI,*  
 Ad d. 14. Martij, 1702.  
 Publicæ submittit  
 Eruditorum Censuræ  
**M. Gottfried Lange.**  
 ERFFURTI,  
 Excudens JOH. HENR. Grotsch Acad. Typogr.

**KENFRIED**  
**UNIVERS.**  
**ZV HALIE.**

G. S. May

